



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Caroli Scribani è Societate Iesv Philosophvs Christianvs**

**Scribanius, Carolus**

**Neobvrgi. Ad Danubium, 1618**

Illvstrissimo, Reuerendissimo Frederico Borromaeo S. R. E. Cardinali,  
Mediolanensivm Archiepiscopo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46524](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46524)

ILLVSTRISSIMO,  
Reuerendissimo  
FREDERICO  
BORROMAEO  
S. R. E.  
CARDINALI,  
MEDIOLANEN-  
SIVM  
ARCHIEPISCOPO.



LIM Poëtarum non vni  
decantatę Semiramis &  
Penelope auibus nutritę,  
vrſa Paris, canibus Perſa-  
rum Cyrus, apibus Plato,  
formicis Mydas, luſcinia Stęſichorus  
Lyricus, Romulus & Remus lupa, quā-  
tō felicior in luſtris Boromęa domus,  
altrix nutritiaq; facta exulātis Philo-  
ſophię Chriſtianę, quę totis nō ſemel  
regnis pulſa, poſt emenſum orbē ma-  
riaque mæcenat em quærebat; reperit  
in magno Sanctoq; Boromęo Caro-  
lo, virtutibus, ſanctimoniā, rerumque  
A 2                      geſta

## EPISTOLA

gestarum gloria nulli secundo. fuit  
 cum se Roma Fabriciis, Curijs, Fabijs,  
 Catonibus, Læliis, Scipionibus, Me-  
 tellis, Seneca denique, Rutilio, Thra-  
 sea iactaret; Græcia Socrate, Platone,  
 Aristotele, Solone, Lycurgo, Simoni-  
 de, Theognide, Phocylide, Epicteto;  
 Aegyptusque Trismegisto gloriaretur.  
 vana nomina, rebusque veraque  
 Philosophia vidua. & quid hæc sunt  
 si non vimbæ ad magnum hunc Me-  
 diolanensem Solem nec procul exem-  
 pla petenda. vita, moresque docent  
 quam longè supra hos omnes, alios-  
 que, Christianè etiam alteque cinctos,  
 altè illi vera Philosophia insedisset a-  
 nimo. objice *Paupertatem*. cum Bea-  
 tis, ait, de felicitate certabo. nullæ a-  
 pud eos opes, aurum, gemmæ, purpu-  
 ra, marmora cælis exulant. & non via  
 ad illos sine auro, ad virtutem sine  
 viatico est? iam qui ad naturam vivit  
 quando est pauper; qui ad vota quan-  
 do est diues? *Dignitatum ac nobilitatis  
 abdicationem*. Piscator, ait, Petrus fuit.  
 Stephanum nulli maiorum, sed lapi-  
 des

## DEDICATORIA.

des nobilitarunt. Paulus operi locavit manus. Matthæus à telonio venit. Laurentium genus nō fecit magnum, sed craticula & prunæ, & vox supra humanam, *VERSA ET MANDUCA*, & non Ioseph, ac nescio an non Christus ipse, lignariam exercuit? omnes vnus parentis soboles, vnus regni heredes sumus. demum animus, & ille solus, nobilem facit, cui ex quacunque conditione, Lazari an Zachæi supra fortunam suam licet surgere. *Voluptatum carentiam*. Nemo ait excelsi ingenij ad hæc vilia, foeda, pœnitenda se demisit. certissimumque argumentum viri cælo nati est, ad blanda & in voluptatem trahentia non properare, non ire, non abduci. *Exilium*. Non sum ait vni angulo natus. hæreditas mea mundus est, & nemo volens exulat. semper enim Christianus mente cælum patriam suam incolit, ab hoc nulla illum fortuna, nulla tyrannis excludet. *Fortune insuetudinem*. præoccupare, ait, hanc non tantum quasi ex æquo, sed è superiore lo-

EPISTOLA

eo, adeoque & prouocare, Christianum est, & quis nesciat generosos animos aduersantibus roborari, secundis mollescere ac frangi? experiamur inuicem; illa insultando, ego ferendo spectaculum facti magni Dei: nam quid verear coronas & triumphos, sudoris & sanguinis comites? veriùs fortunatissimorum parentum felicissimos posthumos filios, beatissimæ æternitatis hæredes? *Vincula & carcerem*, auferamus, ait, nomen, non omnia spiritui patent? caro includitur? animus liber est, qui quoties volet, toties terrasque cælumque inambulat. iam quid manus patiuntur in neruo, quid pedes in compede, cum animus in cælo est? *Tormenta & flagra*, nemo, ait, de delicijs in aciem procedit, & athletæ non segregantur ad strictiorem disciplinam, perque verbera & flagra ædificando vacant robori? tantò nimirum plus de victoria sperantes, quantò pluribus antè incommodis exerciti: aut fors minùs febris cruciat, milleque morborum genera, que diade-

### DEDICATORIA.

diademata & scepra elidunt? *Mortem*. quanti, ait, illam contempserunt sub præmio laudis humanæ, etiam ancillæ & serui? & ego dubitabo tantum erogare pro vero, quantum alij pro falso? non eripitur hæc vita, sed interrumpitur vt meliori reddatur nec consumitur, sed emittitur ad certiora spiritus.

Hæc Magnus Sanctusque Carolus à Christiana Philosophia suxerat; quæ illum opibus, honoribus, purpurâ, scepro, minis, tormentis, morte, adeoque inferno maiorem, Cælitibus patre dederat. & quid aliud ab hac mente eternatura philosophia foeta auida-que sperari debuit, quàm vt quidquid hic magnum, tanquam peritura comœdiæ tragœdiæque momentaneam scenam, Deo, origineque sua, regnoque cui nata, indignum contemneret? Imitaris generosam hanc magni Patrum mentem, & Philosophicis felix insistis vestigiis, Philosophica nobilis palæstra, magis quia parens & ductor. Socrates, Cleanthes, Platones, Aristoteles

A † les

EPISTOLA

Ies, Senecas non voueo. ad maiora vo-  
 cas. ad Christianam Philosophiam; ad  
 studia & scriptiones Christiano di-  
 gnas: ad mores & vitam Magni Philo-  
 sophi Boromæi Caroli. Maçte animis,  
 Philosophia quàm purpura & tiara  
 nobilior, Ambrosiano Collegio quàm  
 genere illustrior; hoc vno viues. erit  
 eum calcabitur aurum, gemmæ, pur-  
 pura. nulla ætas docta tuorum exeret  
 ingeniorum monumenta. perennatur  
 his vita post cineres, sceptris & tiara  
 iacentibus, & ad humilem arenam de-  
 ductis. tantum feliciter inchoatis in-  
 fiste, & audenter magnas cogitationes  
 protrude. ingens Te manet merces,  
 terris cæloque reponenda. non excur-  
 ram ad laudes, laudasse viuos damna-  
 se est, & facere, non audire fortia Bo-  
 romæi sanguinis est. ac licet magnorū  
 fluminum capita, aut calentium aqua-  
 rum ex abdito fontes veneremur, de  
 fluminibus tamen ferè & stagnis po-  
 strema veneratio est. ipsa se magnitu-  
 dine sua commendant. genus & proa-  
 uos non narro. nemo in nostram vir-  
 tutem

AUTORIS.

tutem vixit; nec quod antè fuit, nostrū  
 est. & quanto in errore sunt qui homi-  
 nem alieno laudant? qui in vite luxu-  
 riantes penicillo palmites, qui vuas  
 marmoreas autumnum suum men-  
 rientes, qui in equo frænos gemmeos,  
 in leone balteum? quid ad hominem  
 quibus maioribus fluxerit? multum  
 ferit, plus etiam metit, aurea tectis  
 pendent laquearia, argenteæ stant lâ-  
 ces in mensa citrea, cænat splendide,  
 vestitur purpurâ, copiosi circumstant  
 feruulorum greges, adulârium agmi-  
 na, balneaque & fontes non tam exe-  
 ks, quàm excisis saxis suspenderunt  
 rupes? quò hæc ad laudem? Quæ ad  
 hanc faciant docebit Magnus, Tuus,  
 patere, meusque iam Carolus. Hunc  
 qui viderit interritum in periculis, cu-  
 piditatibus intactum, inter aduersa  
 ridentem, in secundis non elatum, in  
 tempestatibus æquè ac in malacia pla-  
 cidum, semper sui similem, nunquam  
 alium, non exclamet, Magnus hic vir,  
 omni que calamo & ore maior? talem

A 5 nonni-



EPISTOLA

non nisi sæculis multis vnum alterum-  
 ve, tanquam ætatis suæ phœnices vi-  
 debis. quid miraris? interuallo magno  
 nascuntur, reliqua in turbam nascen-  
 tia, & bracteata quadam gemmeaque  
 felicitate magna, nulla non dies pro-  
 trudit. neque hos Philosophia promit-  
 tit, sed fortuna fatuo plurimum dele-  
 cta, ac in improbissimum ferè quem-  
 que munificentior: plus auri, agrorum  
 pratorumque, fluminum, nemorumque  
 possides? plus operę accessit. & propè,  
 quod labyrinthum ingredientibus,  
 quò altiùs se credunt, eò fortiùs im-  
 plicantur; idem in opibus euenire vi-  
 demus. non danno tamen aurum &  
 purpuram. sed plerumque magnificent-  
 ior sermo è grabato & panno nasci-  
 tur: magis, fateor, è purpura nitet,  
 quia rarior ex hac grandior exurgit  
 dictio, nam vt magnum sit non habita  
 non ambire, nescio an non maius cir-  
 cumsufa contemnere, nec illarum cõ-  
 tubernio! corrumpi. & sanè si res  
 pondere suo cum Seneca metiamur,  
 non

## DEDICATORIA.

non magnum argumentum est indolis magnæ aqua & panni: nisi quis non tam necessitate quàm voluntate hæc ferat, multorum namque latent sub illis vitia; ac ne paria pessimis darent, fortuna fecit: adde opes explicandæ instrumenta nequitia, adde potentiam, & da quod volet posse; disces quid sperare, quid timere debeas. Quo magis in Magno Carolo miramur purpuram, gloriam, opes, nec indulgentem illis, etiam calcantem. Imitaris hæc magna, & magnis animis submoues hæc fortuita, te ipso contentus, & ex te nascentibus animi bonis ad quæ te Philosophia ducit, non addam ex huius Schola plura, Collegiū tuum Ambrosianum, & qualis post vaticanam nulla fors orbe toto bibliotheca, quæ non spondet diuite omnium voto? Tubæ hæc & tympana sunt reliquis orbis Christiani principibus. excitentur tantum noui Themistocles non pænitenda æmulatione ad noui huius Miltiadis trophæa. Ita vo-

A 6 ueo.

EPISTOLA

neo. & purpuræ Tuæ, Magne Præful,  
Magno Sanctoq; Carolo, Deoq; in  
Christiana hac Philosophia vota  
hæc

meque totum

æternum S.D.Q.

CAROLVS, SCRIBANIVS,

SCRIP-